DE RESURRECTIONE DOMINI ORATIO HABITA IN SACELLO PONTIFICIO CORAM SANCTISSIMO...

Ioannes Vitellius de Vitelleschis, Valenti Gonzaga



SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO D.

CLEMENTI XI.

PONT. OPT. MAX.

JOANNES VITELLIUS DE VITELLESCHIS

Felicitatem.



Æc cùm ſcriberem, BEATISSIME PATER, ſubjecturus oculis tuis, quæ coram Te dicendi honos, & onus


onus pariter mihi contigit, deterrebat me fermè summa illa, omnique admiratione major, qua majestatem ipsam auges, Sapientia, cui nihil profectò tam elegans, nihil tam perpolitum ingenio, nihil tam elaboratum industria offerri potest, quod sub tuo veluti majori lumine non obumbretur. Quid enim huic rudi, omnique eloquentiæ vi destitutæ orationi meæ novus in scribendo sperarem? quæ si cum cæteris orationibus, minor, sin verò cum tua Sapientia comparetur, omnino est nulla. Verumtamen hæc ipsa omnia diligentiùs pensanti mihi animum addiderunt, ut experirer consuetam, ingenitamque Clementiam Tuam.

Quem-

Quemadmodum enim superveniente Sole, quæ magis, quæve minus irradient Sydera, nullus distinguat, quoniam in Supremo lumine absorbentur omnia, ita etiam, cùm tanta sit altitudo Sapientiæ Tuæ, hic quamtumvis exilis, quamtumvis impar oculis tuis ingenii mei labor æquabitur sanè, crediderim, si non Tibi, cæteris saltem dissertationibus, quas usqueadhuc de Dominica Resurrectione accepisti, quoniam Te legente minores sunt omnes. Accedit insuper Beatissime Pater, *quod materies ipsa Orationis meæ, tibi grata propemodum, & familiaris quodammodo contingat necesse est, hoc enim agis quotidie tuo exemplo, tuis*

monitis, tua omni paterna denique cura, ut ſuſcitetur Chriſtus in nobis: & ſicut Apoſtoli dormientem ſuſcitaverunt in navi, ita languentem, ac veluti mortuam pietatem, ac Fidem excitas in Eccleſia. Patens hoc loco aperiretur dicendi Campus, quoniam verò ſicut excelſa facere delectaris, ita facta audire tantum non pateris, reliquum eſt, ut diuturnam Sanctitati Tuæ Incolumitatem precatus, & in oſculo Sacrorum Pedum humillimè devolutus obedientiam tacendo profitear.

ORA-



ORATIO.



[a] D EPONENTES lugubre mœroris pallium, BEATISSIME PATER, hodie accipimus lætitiæ indumentum, quia nempe [b] reſurgens Chriſtus ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Grande utique, & ſingulare hodiernæ celebritatis Solatium, [c] reſurrexit ſiquidem Lazarus, ſed moriturus; reſurrexit filia Archiſynagogi, ſed moritura; reſurrexit filius Viduæ, ſed moriturus; reſurrexit autem Chriſtus non moriturus. Sed [d] viſio dura nuntiata eſt mihi [e]: Et vidi, & ecce

in

a. *Chryſoſt. hom. 2. de Reſurr.*

b *Ad Rom. c.6.v.9.*

c *S. Aug. in Pſ. 126.*

d *Iſaiæ c. 21. v. 2.*

e *Apoc. c. 5. v. 17.*

in medio throni agnum ſtantem tamquam occiſum. Quid ergo? Numquid ſatis non reſurrexit, numquid perfectiùs reſuſcitari expectat in cælo? Rem novam dico, ſed quæ ſcripturarum vocibus comprobatur: Sicut à nobis adimplenda eſt paſſio Chriſti, ita & illius adimplenda eſt Reſurrectio. [g] Hoc ergo primùm intelligentes, quod omnis prophetia propria interpretatione non fit, recurramus ad Patrem luminum, ut cogitationes, quæ neceſſariæ ſunt veritati, [h] non aſcendant in corda noſtra, ſed deſcendant, non aſcendant utique è terra, ſed deſcendant ab ipſo.

f S. Auguſt. Serm. 1. de Reſurrect.

g 2. Pet. c. 1. v. 20.

h Auguſt. Serm. 69. de diverſis.

Et quoniam contriſtari libet, ut magis inde plenum ſit gaudium noſtrum, loquamur de paſſione pauca, ſimilia poſtmodum, ſed lætiſſima de reſurrectione dicturi. Porro [i] Dei perfecta ſunt opera, & perfectiſſimum illud fuit, quod in cruce [k] Conſummator Jeſus exhibuit, dum [l] languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros

i Deut. 32. 4

k Ad Hebr. 12. 2.

l Iſaia 53. 4.

ſtros ipſe portavit, tunc enim [m] in finem dilexit nos, & ideo cùm accepiſſet acetum dixit: [n] Conſummatum eſt, [o] videlicet de menſura paſſionum nihil deeſt, & inclinato capite tradidit Spiritum, tamquam ideo expectaret, ut complerentur, ſed ſi completæ jam erant, quomodo adimpleri debent à nobis, & quomodo gloriatur Apoſtolus dicens: [p] Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea? Quia nempe [q] unus eſt homo cum capite, & corpore ſuo Jeſus Chriſtus, & nobiſcum integer eſſe dignatus eſt, qui & ſinè nobis ſemper eſt integer: [r] Ipſe utique eſt caput corporis Eccleſiæ, [s] nos autem ſumus corpus ejus, & membra; [t] Completæ igitur erant omnes paſſiones in capite, ideſt in Chriſto, remanet tamen, ut compleantur in corpore, ideſt in nobis: Hinc eſt, quod idem Apoſtolus, cùm eſſet adhuc Saulus, audivit à Chriſto: Saule, Saule, quid me perſequeris? Quidquid proinde nos patimur, deerat paſſionibus Chriſti, & quod deerat,

m Joan. 13. 1.
n Joan. 19. 30.
o S. Auguſt. in pſ. 86.
p Ad Coloſſ. 1. 24.
q S. Auguſt. in pſ. 61.
r Ad Coloſſ. 1. 18.
s Ad Corinth. 12. 27.
t S. Aug. in pſ. 86.

nos

[u] S. Aug. in ps. 61. nos adimplemus, [u] unuſquiſque enim pro modulo noſtro exolvimus, quod debemus, & pro poſſe virium noſtrarum quaſi canonem paſſionum inferimus.

Jam verò ad Reſurrectionem Domini, quæ caput eſt Orationis meæ, veluti data via properantes, quid eſt, quod eadem, quæ de paſſionibus dicta ſunt, hìc [x] Ad Rom. c. 6. v. 9. alacres non repetamus? [x] Chriſtus Reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur: hoc utique in [y] Apoc. c. 5. v. 7. ſeipſo, hoc utique in capite; Sed [y] vidi, & ecce in medio throni agnum ſtantem, tamquam occiſum: hoc utique in corpore, hoc utique in membris ſuis. Occiſus eſt agnus pro Petro, occiſus eſt & pro Juda, quia [z] Ad Corinth. 5. 15. Chriſtus [z] pro omnibus mortuus eſt, ſed reſurrexit in Petro, non reſurrexit in Juda; Petrus ſiquidem oſtendit ſe membrum Chriſti, & reſurrexit, & ideo reſurrexit Chriſtus in illo, Judas verò factus eſt membrum Diaboli, & non reſurrexit, & ideo non reſurrexit Chriſtus in illo. Deeſt igitur,

tur, deest sanè aliquid, quod suppleri debeat à nobis, sicut & Passionum, ita & resurrectionis ejus, sicut enim ibi desideratur à nobis carnem nostram crucifigi cum vitiis, ita desideratur hìc resurrectio nostra. Mira propemodum Mediatoris nostri dignatio, ut sibi resurrexisse satìs non videatur, nisi resurgat etiam in nobis, & ad vitam revocatus à Patre, ad aliquod veluti Suæ vitæ incrementum revocari cupiat à Filiis.

Adimpleamus igitur, quantum in nobis est, hodiernum Dominicæ Resurrectionis triumphum, ut [aa] quomodo Christus resurrexit á mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus, & [bb] sicut mors Christi exemplum fuit, ut peccato moriamur, ita resurrectio ejusdem exemplum sit ut justitiæ vivamus. [cc] Consurgamus cum illo, quæ sursum sunt quærentes, non quæ super terram, & [dd] exhibeamus nos Deo, tamquam ex mortuis viventes, ut [ee] simus in Christo nova Creatura, ideo namque [ff] duo

aa *Ad Rom. v. 4.*

bb *Invoc. III de Sacr. Alt. Myst. l. 4. c. 35.*

cc *Ad Coloss. c. 3. v. 1.*

dd *Ad Rom. c. 6. v. 13.*

ee *2. Ad Corinth. c. 5. v. 17.*

ff *Joann. 20. v. 12.*

duo Angeli unus ad Caput, & unus ad Pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu, sese offerunt aspiciendos, ut nimirum resurrectio, quæ perfecta est in Christo, tamquam in capite, perficiatur etiam in nobis, [gg] qui ad instar pedum terræ inhæremus. Revolvamus lapidem, commutemus in meliùs vitam nostram, & quoniam [hh] sufficientes non sumus cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, [ii] oremus Dilectissimi, ut nunc descendat Angelus, & totam duritiem nostri cordis evolvat, aperiat sensuum claustra nostrorum, & resurrexisse Christum nostris etiam testetur ex mentibus. Tunc erit profectò, ut Agnus, qui videbatur tamquam occisus, totus transeat in eum, qui [kk] velut Leo resurgens ex mortuis, jam non moritur, utque nos [ll] reconciliati Deo per mortem Filii ejus, multo magis reconciliati salvi simus in vita ipsius.

gg S. Greg. l. 19. moral. c. 12

hh Ad Corinth. c. 3. v. 5.

ii S. Petrus Chrysol. s. 75.

kk S. Petrn. Serm. 14. ex brevibus.

ll Ad Rom. c. 5. v. 10.



LAUS DEO.